

IN QUINQUE SEQUENTIA OPUSCULA, FR. JOANN. FRANC. BERN. MARIE DE RUBEIS, ORDINIS PRÆDICATORUM, ADMONITIO PRÆVIA,

De Opusculis ad Joannem Vercellensem Magistrum Generalem Ordinis Prædicatorum, ad Lectorem Venerum, ad Lectorem Vesontinum, ad Reginaldum Privernatem, deque Auctoris eruditione, soliditate ingenii, & optima crisi.

CAPUT I.

Genuinum Sancti Thomæ Opusculum ostendit responsio de Articulis duobus & quadraginta. Supposititia altera est de Articulis centum & octo. Prudentissima Aquinatis animadversio circa judicium, quæ de Philosophorum placitis ferri debent, ad fidei doctrinam comparatis. Exempla afferuntur de Angelis calorum motoribus, deque calorum anima, & loco inferni. Ricardii Simonii animadversiones refelluntur.

I. In editione Operum Sancti Thomæ, quæ Romæ jussu Pii V. Summi Pontificis anno 1570. curata est, Opusculum quartum inscribitur: *De duobus præceptis charitatis, & decem regis præceptis* quorum, de Articulis Fidei, & Sacramentis Ecclesiæ sexum, Expositio super Symbolum Apostolorum: septimum, Expositio Orationis Dominicæ: octavum, Expositio super salutationem Angelicam. De his latiore calamo, & ubertiore Tractatu egimus in Admonitione VIII. Tomo præmissa. In eadem Romana editione sequuntur Opuscula duo, nonum, & decimum, *Fratri Joanni Vercellensi Magistro Generali Ordinis Prædicatorum* nuncupata. Inscriptum primum, *Responsio de Articulis CVIII. sumptis ex opere Petri de Tarentasia*: alterum, *Responsio de Articulis XLII.*

Istius diserta mentio apud veteres omnes Nomenclatores, Ptolomæum Lucensem, Bernardum Guidonis, Bartholomæum Logothetam, Nicolaum Trivetum, Joannem de columna, Pignonium, Valleletanum, Sanctum Antonium. Articulus quadraginta tres, quibus responderit Aquinas, numerat Bernardus Guidonis, Logotheta, Valleletanus, & Sanctus Antoninus: duos & quinquaginta Pignonus, errante sine dubio Notario: duos vero & quadraginta, edita omnia exempla. Quid exposceret Magister Generalis, quo etiam tempore litteras ejus cum articulis accepit Aquinas, propositisque satis questionibus fecerit, aperit ipse in Præfatione: „Paternitatis vestre, inquiens, litteras Feria quarta ante Pascha recepi, dum Missarum solemniam agerentur, multos Articulus interclusa schedula continentes: quibus singulis mihi respondendum mandabatis, responsionis forma taxata, an scilicet Sancti, sint illius sententia vel opinionis, quam continet Articulus: & si Sancti sint, vel non illius sententia vel opinionis, quam articulus continet, an ego illius opinionis vel sententia (sim:) & si non sim, an tolerabiliter dici possit. Quibus articulis statim sequenti die secundum formam à vobis traditam, prætermisissis aliis occupationibus, secundum quod mihi occurrit, respondere curavi.“ Petrus Pellican, admonet, Opusculum istud anno 1271. adnotatum esse in Codice Victorino: quo anno sacrum Pascha incidit in diem 5. Aprilis. Adhuc Parisiis Sanjacobæam Scholam regebat S. Thomas, qui eodem annod finem vergebat in Italiam remigravit.

II. Opusculum alterum, primo loco memoratum, Veterum nemo recenset: quo silentio invictum suppositionis argumentum efficit, frequentius adnotavimus. Cur enim Joannes Vercellensis proposuerit Thomæ sumptis ex opere Petri de Tarentasia questionibus explanandas? Cur mota dubia non solvisset ipse Petrus? Thomæ annis 1274. vita migravit: eique duobus annis, & aliquot mensibus superstes fuit Petrus, anno 1272. electus Antistes Lugdunensis, anno insequente 1273. in Collegium Cardinalium adscitus, ad Summum Pontificatum evectus anno 1276. die 21. Januarii, vocatus Innocentius V. eodemque anno die 22. Junii denatus. Post obitum utriusque in lucem prodixit Opusculum, haud inepta conjectura colligit Echardus. De Petro Tarentasiensi diligentius egisse videtur laudatus Echardus, quam Monachi Sancti Mauri in Gallia Christiana.

III. Prudentissimam referre liceat Sancti Thomæ animadversionem, quæ genuino superiore in Opusculo legitur in Præfatione circa judicium, quæ de placitis Philosophorum, ad fidei doctrinam comparatis, ferri debeant. Verba sunt, „Respondere curavi; hoc tamen in principio protestans, quod plures hotum Articulus, cum ad fidei doctrinam non pertinent, sed magis ad Philosophorum dogmata. Multum autem nocet, talia quæ ad

ad pietatis doctrinam non spectant, vel asserere, vel negare, quasi pertinentia ad sacram doctrinam. Dicit enim Augustinus in V. Confession. cap. v. Cum audio Christianum aliquem... ista (scilicet quæ Philosophos de celo, lo, aut stellis, & de Solis, & Lunæ motibus dixerunt,) nescientem, & aliud pro alio sentientem, patienter intueor opinantem hominem: nec illi obesse video, cum de te, Domine Creator omnium, non credat indigna, si forte situs & habitus creaturæ corporalis ignoret. Obstet autem, si hæc ad ipsam pietatis doctrinam pertinere arbitretur, & pertinacius affirmare audeat quod ignorat. Quod autem obicit, manifestat Augustinus in I. super Genesim ad litteram capite xix. num. 39. Turpe est, inquit, nimis, & perniciosum, ac maxime cavendum, ut Christianum, de his rebus quasi secundum christianas litteras loquentem, ita delirare quilibet infidelis audiat, ut quemadmodum dicitur, toto celo aberrare conspiciens, risum tenere vix possit. Et non tam molestum est, quod errans homo videatur; sed quod auctores nostri ab eis, qui foris sunt, talia sensisse creduntur; & cum magno eorum exitio, de quorum salute satagimus, tamquam indocti reprehendantur, & respuuntur. Unde mihi videtur, tutius esse, ut hæc quæ Philosophi communes (vel communiter) senserunt, & nostræ fidei non repugnant, neque sic asserenda, ut dogmata fidei, licet aliquando sub nomine Philosophorum introducantur: neque sic esse neganda, tamquam fidei contraria, ne sapientibus hujus mundi contemendi doctrinam fidei occasio præbeatur.

IV. Quod alios docet, egregie ipse præstat Aquinas. Rem perspectam facio, aliquibus in medium allatis exemplis. Ad Angelos calorum motores pertinent Articuli plures, quos minime rejiciendos censet Doctor Angelicus; verum esse probabiles, conficit Augustini doctrina. Ad primum inquit: „Respondendum videtur, quod ordo communis divinitus institutus hoc habet, ut corporalis creatura ab ipso (Deo) moveatur, spiritu mediante. Dicit enim Augustinus in III. de Trinit. cap. 1v. num. 9. Quædammodum corpora crassiora, & inferiora per subtiliora, & superiora (al. potentiora) quodam ordine reguntur: ita omnia corpora per spiritum vitæ rationalem. Et VIII. super Genesim ad litteram dicit cap. xx. num. 39. quod Deus spirituales creaturas corporali preposuit.“ Addit vero: neque tamen divinam potentiam esse huic ordini aligatam... in operibus miraculosis.

Ad tertium Articulum inter placita Philosophica relinquit, num animata sint corpora cælestia: quod Damascenus negat in II. Libro (de Fide orthodoxa capite vi.) licet hoc Augustinus sub dubio relinquit in II. super Genesim ad litteram (capite xviii. num. 38.) Eadem tenebatur dubitatione Augustinus in Enchiridio capite LVIII. num. 15. Regulam hoc loco constitutam servat Aquinas Libro II. contra Gentes cap. lxx. in fine: Hoc autem, quod dictum est, inquiens, de animatione cæli, non diximus quasi asserendo secundum fidei doctrinam, ad quam nihil pertinet, sive sic, sive aliter dicatur. Animadversionem affert Doctissimi Petavii Libro I. de Opificio sex dierum cap. xxi. num. 13. „Quæ cum ita sint, inquis, omni Catholice veritatis patrocinio destituta est Platoniorum, & Origenis illa fabula... Quamobrem eatenus sententiam suam edidit (Thomas) ut neutram in partem pronuntiandum esse ab Ecclesia dixerit: cum Quintæ Synodi Acta, decretaque de Origene non extent. De cuius tamen auctoritate, ac judicio non posse modo dubitari arbitror: idque tum ex Justiniani Epistola, & anathematis ibidem expositis, tum ex Nicephori aliorumque testimonio satis constare; tamen non eo usque, ut pro hæretico qui illum asserat, habendus videatur... In Commentario ad Librum secundum de Cælo, Lect. 13. idem ille Sanctus Thomas nihil, nisi opinionem Aristotelis explicavit: non quod ipse sentiret, exposuit. At in prima Parte Summæ Theologicæ, quæst. 70. art. 3. ubi latius eam questionem pertractat, aperte ac sine hesitatione ulla negantem opinionem adstruit. Num. xiv. Ut autem celestibus orbibus ac syderibus formæ loco naturalis animam defendere, non habet manifestam hæresis invidiam; ita promiscue res operes, uti terram, aerem, aquam, lapides, hujusmodi reliqua, animæ & sensu prædita esse putare, hæretica & abominanda est opinio.“

Ad Articulum xxxi. quo inquirebatur, an infernus sit in centro, vel circa centrum terræ, Aquinas responsum est: „Dicendum videtur, inquiens, quod locus inferni sit infra terram. Unde Augustinus in Libro Retractionum dicit, II. capite xxiv. num. 2. De inferis magis, ut videtur, dicere debuissim, quod sub terris sint, quam rationem reddere, cur sub terris esse dicantur. Ubi tamen sit infernus, an circa centrum terræ, vel circa superficiem, nihil arbitror ad doctrinam fidei pertinere: & superfluum est de talibus sollicitari, si, asserendo, vel improbando.“ Locus ab Augustino retractatus prostat Libro XII. de Genesi ad litteram cap. xxxi. Hac de re opinionis hominum refert omnes Doctor Angelicus in 4. dist. 44. q. 3. art. 2. q. 3. ubi Theologica gravitate dignissimam doctrinam tradit: „Dicendum, quod sicut Augustinus dicit Libro XX. de Civit. Dei cap. xvi. in qua parte mundi infernus sit, scire neminem arbitror, nisi cum divinus Spiritus revelaverit. Unde & Gregorius in 4. Dialogo. cap. xl. super hac Questionem interrogatus, respondit: Hac de re temere definire non audeo. Nonnulli namque in quadam terrarum parte infernum esse putaverunt: alii vero hunc sub terra esse existimant. Et hæc opinionem probabiliorum esse, ostendit dupliciter. Primo est ipsa nominis ratione, sic dicens: Si idcirco infernum dicimus, quia infernus jacet; quod terra à celo est, hoc esse infernum debet ad terram. Secundo autem ex hoc quod dicitur Apocal. 5. vers. 4. Nemo poterat neque in celo, neque in terra, neque sub terra aperire librum; ut hoc quod dicitur in celo, referatur ad Angelos; hoc quod dicitur in terra, referatur ad homines viventes in corpore; hoc quod dicitur sub terra, referatur ad animas existentes in inferno. Augustinus etiam in XII. super Genesi ad litteram cap. xxxiv. num. 66. duas rationes tangere videtur, quare congruum sit, quod infernus sit sub terra. Una est, ut quoniam defunctorum animæ amore carnis peccaverunt, hoc eis exhibeatur, quod ipsi carni mortua solet exhiberi, scilicet sub terra recondantur. Alia est, quod sicut est gravitas in corporibus, ita tristitia in spiritibus: & lætitia, sicut levitas. Unde sicut secundum quod supra, si ponderis sui ordinem teneant, inferiora sunt omnia tristiora. Et sic sicut conveniens locus gaudii electorum, est cælum Empyreum: ita conveniens locus tristitie damnatorum, est infimum terræ. Nec debet movere, quod Augustinus ibidem dicit, cap. xxxi. num. 62. quod inferi sub terris esse dicuntur, vel creduntur: quia, ut in Libro II. Retractionum, cap. xxiv. hoc retractans, dicit: Mihi videor dicere debuissim magis, quod sub terra sunt inferi, quam rationem reddere, cur sub terris esse dicantur, sive credantur. Quidam tamen Philosophi posuerunt, quod locus inferni erit sub orbe tristi: tamen supra terræ superficiem, ex parte opposita nobis... Pythagoras vero

117, dicitur Matthæi XIX. vers. 13. *Oblati sunt parvuli, ut eis manus imponerent.* Sed hoc non potest referri ad penitentiam Sacramentum, quod parvulis imponi non consuevit: oblati sunt autem ei, ut manus imponeret benedicens secundum consuetudinem Judæorum, ut dicit Remigius. (Alios Interpretes consule.) Quinto objicit, quod dicitur Actuum VIII. vers. 18. *cum vidisset Simon, quod per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus Sanctus.* Hoc autem pertinet ad impositionem manuum, quæ fit in Confirmatione, ut supra dictum est. Sexto objicit auctoritatem Magistri Guillelmi Alverni. Qui an hoc dixerit, nescio: sed scio eum non fuisse tantæ auctoritatis, ut ejus dicto standum sit in tanta re: præsertim cum Dominus Petro potestatem clavium exponens, non dixerit: *cuicunque manus imposeris, sed quodcumque* que solveris.

Guillelmi Alverni Opera prostant edita *Aurelia ex Typographia F. Hotot MDCLXXIV.* Verba ejus sunt de Sacramento Penitentiam cap. 111. Penitentiam dicitur Sacramentum, quia sacra, atque sanctificat, & quia habet signum sacras atque sanctificans. Signum dico, similitudinem habens cum ipsa sanctificatione interiori. Manus enim Sacerdotis super caput penitentis, manum divinam sive virtutem adesse significat ad sanctificandum penitentem. Absolutio autem Sacerdotalis... absolutioem interiore ac spiritua-lem... significat. Locum diligenter expendi, quo impositionem manus, veluti necessariam evincit, dixerit nemo. Antiquam Anonymi opinionem instaurasse quodammodo videtur Carolus Virasse de Sacramento Penitentiam quest. 11. art. 1. concl. 6. *Dicimus, inquit, non omnino absque veri specie impositionem manuum assignari pro legitima materia Sacramenti Penitentiam quondam potuisse.* Venusta in medium profert documenta, quæ peccatoribus in stadio penitentiam manus impositas enarrant. Hunc Ritum illustrat Morinus Lib. VI. de Penitentiam cap. VIII. ipsumque minime pertinere ad Sacramentum, veluti partem ejusdem materiem & essentialem, satis evincit Honoratus Tournellius in Prælectionibus de Sacramento Penitentiam quest. 11. art. 3.

V. Joannis Launoji censura immune non abiit recensitum Sancti Thomæ Opusculum. Pauca verba, quæ familiari in colloquio habuit Vincentius Baro, ansam dedit integræ *Animadversioni*, quæ num. 20. legitur in ejusdem Launoji Epistola ad Ludovicum Maræsum Parisiensem Theologum. Censuris dicta, sive dicitur in Barone prætermittit omnia: quæ nimia dixerit ille confidentia adversus Aquinatem, voco ad examen. Censuram orditur suam his verbis: *Beatus Thomas Ecclesiastica controversia, quæ inter eum & Doctorem Anonymum erat, judicem facit Scripturam solam... Scriptura jungenda erat Ecclesiæ traditio. Sed eam jungere non licet per unum diem quem in consulendam Doctores Anonymi, scripturam insumpsit... In Opusculi totius decursu nulla comparat illius Ecclesiæ traditio... Ritualium librorum, in quibus Sacramentorum ordo præscribi solet, nullus adducitur. Veterum Theologorum, & Tractatorum nullus laudatur. Ne lividum, & imperitum censorem? Tum divina Scripturarum auctoritate, tum etiam Majorum traditione de Sacramento formis constituendum esse, quis ambigat? Utrumque egregie præstitit Aquinas in Opusculo, quod unius diei spatium confecit. Præcipuum Scripturarum locum ex Matthæi cap. XVI. desumptum affert, ac diligentissime versat: eique magis convenire propugnat formam absolutioem, quæ verbis effertur indicativis. Hujusce formæ & convenientiam, & necessitatem confirmat: quia communis est, inquit, consuetudo tali forma utentium. Ecce vero, Scriptura junctam traditionem Ecclesiæ.*

Quomodo namque communis tali forma utentium consuetudo consistit Aquinati? Nempè, (inquit ego, & dixerit prudens quisque,) noverat eam Sanctus Thomas de ipsa Sacerdotum, qui Ecclesiis administrabant Sacramentum Penitentiam, praxi; itemque ex Ritualium librorum, qui in Ecclesiis adservantur, inspectione, & examine; ex Theologorum etiam commentariis, qui rem hanc in Scholis tradidere, scriptoque reliquerant; ex vetustis etiam Patribus, qui ligandi ac solvendi potestatem Petro traditam exponunt, ac illustrant. Hanc totius Ecclesiæ, & Ecclesiarum particularium traditionem una communis consuetudinis voce satis indicat S. Thomas.

Hæc ejus, quam ipsi tribuo, peritiam splendidius adhuc innotescere potest. Objiciebat Anonymus: quod Magister qui Sententias compilavit, non posuit hanc formam; nec aliquem Sanctorum legitimus hac forma usum esse. Reponerat Aquinas: quod Magister formam (indicativam) non posuit: sed neque legitur de alia forma. Nec etiam legitur, quod aliquis istam formam negaverit. Ad hæc Launojus censuram appingit: *Sed legitima, inquit, non est Sancti Thomæ oppositio. Immo legitimum, solidamque esse, plura evincunt. Cur enim indicativam formam rejicias, quæ verbis Jesu Christi potestatem clavium conferentis magis convenit? Utrum eandem expugnandum jubes, quam nec Magister Sententiarum, nec veteres Scriptores usipiam negarunt? Novimus omnes, probe noverat etiam S. Thomas, frequentius vetustos Patres adserere. Penitentiam reconciliari data oratione, per Ecclesiæ preces, supplicationibus Sacerdotum. Patri Leonis Magni verba expendit Part. III. quest. LXXXIV. art. 2. ad 2. eademque docet, non ob stare indicativam, quam propugnat, absolutioem formæ. Quid? quod noverat Aquinas, reconciliatorias legi quidem preces in Ritualibus; ad illas etiam immixtam formulam absolutam. Quod ipse noverat, testatur peritissimus Edmundus Martene loco superius citato: *Facendum est, inquit, in plerisque antiquis libris Ritualibus, una cum orationibus reconciliatoriis, formulas quasdam absolutioem indicativas reperiri.* Hæc eruditione satis pollebat Sanctus Thomas, ut nihil hæsitantem Anonymo responderet, vetustos Patres negasse nunquam istam formam indicativam. Hinc Launojo satis, abunde factum, toties exposcenti, ut causam suam ageret Aquinas, prolato sacrorum Rituum codice, qui formam hanc (Ego te absolvo) præscriberet: & exhibito Sacramentorum libro, qui eandem formam contineret. Prolati jam Rituum, & Sacramentorum libri sunt: quos Aquinati satis notos inficari, insanite est.*

Id evincit alia ejus, quæ refero, verba. Objiciebat namque Anonymus absolutioem quasdam, quas Ecclesiæ facti in Prima, & in Completorio, arte Missam, & post predicationem secundum morem Romana Ecclesiæ, & in die Cinerum, & Cæne Dominicæ, non per orationem indicativam, sed deprecatoriam. Reponens Aquinas verba accipie: *Mirum, tum non advertere quod hujusmodi absolutioem non sunt Sacramentales; sed sunt quedam orationes, quibus dicuntur peccata ventura dimitti, sicut per orationem Dominicam, qua dicitur, Dimitte nobis debita nostra.* Hæc indicant, innotuisse Aquinati sacros Ecclesiasticos ritus non sua modo ætate, sed etiam ævo superiore vigentes. Hinc mirabatur ille, tam inscite Anonymum reconciliatoriis quibusdam

orationibus litem agere, quæ ad essentialia Sacramenti minime expectabant. Eadem nobis miratio subit, pro deprecatoria formula causam agere Launojum voluisse triginta numeratis Ecclesiis Ritualibus: qua parte scilicet ordinem tradidit ad visitandum infernum, ad communicandum infernum, ad dandam extremam unctionem. Opus erat Rituales afferre libros, qua parte ordo in eis traditur ad reconciliandos penitentes: quos tunc, præter aliquas preces, absoluturam plerosque exhibere formam, testatur Martene, ac dubio procul omnino noverat S. Thomas.

Alia erat Anonymi objectio: pro forma deprecatoria sensisse Magistrum Guillelmum de Anissiodoro, & Magistrum Guillelmum quondam Episcopum Parisiensem, & Dominum Hugonem quondam Cardinalem. Thomæ responsio est: *Quod ita senserint, non constat. Sed & si ita senserint, nunquid eorum opinio præjudicare poterit? Magistri Parisius regentes communis sententia contrarium sentiunt, decernentes, absque his verbis, (Ego te absolvo,) absolutioem non esse per solam deprecatoriam orationem. Aquinatem carpit Launojus. Quid verò? In ejus responsioem ex parte recidit ipse: Guillelmus Anissiodorensis, inquit, & Hugo Cardinalis non tam diserte loquuntur in scriptis quæ ad nos pervenerunt. Scilicet quid recera senserint, non constat, ut inquebar S. Thomas. Addit Censor: *Et tamen loquuntur modo, qui magis Doctores Anonymum, quam Thomæ suffragantur: quæ nempe dicta intelligit pro ea, qua Launojus agebatur, Thomæ Opusculum vellicandi pruriginis. Hæc enim de re agit Hugo in Commentario super Mattheum cap. VI. ubi nihil occurrit, quod Anonymo Doctore faveat. In contrariam abissi videtur sententiam Guillelmus de Alvernia Parisiensis Episcopus de Sacramento Penitentiam cap. XIX. Neque more judicum fornicarum prouitat Confessor, Absolvi mus te... sed magis orationem facit eam.* Verba sunt, quorum sensum liquido constare, inficiabatur Thomas. Ritualibus etiam plerisque libris adversatur, in quibus præcibus reconciliatoriis immixta legitur formula absoluta. Quæcumque demum ejus fuerit opinio, præjudicium irrogare nullum potest; huiusmodi opposita adversa Magistrorum sententia erat, qui Parisius regebant. Guillelmo Synchrono Alexandere de Hales IV. Parte Summæ membro 11. art. 2. sic ait: *Absolutioem Sacerdotis fieri expressione talium verborum: Ego absolvo te, vel Deus absolvat te.* Utramque videtur ille adprobasse formulam.*

Postremam Anonymi assertio objectionem: *Vix triginta anni sunt, inquit, quod omnes (jam antea) hæc sola forma (deprecatoria) utebantur.* Reponit Aquinas: *Quomodo de omnibus potest testimonium perhibere, qui omnes non vidit? Censor Launojus ait: Responsio non est hæc, sed declinatio. Immo solidissimum peritum quisque dixerit Sancti Thomæ responsium adversus Anonymum, factum obtrudendum quod est falsissimum. Quomodo enim, si vetustos aut Scriptores aut Ritualibus libros consulisset, epocham formulæ indicative ab ævis triginta dumtaxat ducere potuisset? Peritissimum Martene testentem audivimus, in plerisque antiquis Ritualibus libris, una cum orationibus reconciliatoriis, formulas quasdam absolutioem indicativas reperiri; quibus huiusmodi profertentem, qui sæculo octavo scripti fuerunt. Aquinati, qui breve responsum dabat Magistro Generali, satis fuit contra Anonymum reponere, tum ab ipso minime visos vetustos Ritualibus libros Scriptoresque: tum eidem adversari communem consuetudinem tali forma (indicativa) utentium. Jam ergo in auras abiit levissima Launoji censura.*

CAPUT III.

Ad Aquinatem auctorem pertinet solutio triginta sex Questionum ad Lectorem Venetum. Eiusdem factus est Opusculum de sex Articulis ad Lectorem Venetensem: in quo prudentissima monita ad Concionatores. Quo tempore ad Fratrem Reginaldum scripserit de Angelorum natura. Opusculi doctrina, & eruditio.

I. Undecimum in editione Romana locum tenet Responsio ad Lectorem Venetum de Articulis XXXVII. Hanc recensent, veluti genuinam Thomæ lucubrationem, Ptolomæus Lucensis, Bernardus Guidonis, Bartholomæus Logotheta, Nicolaus Trivetus, Pignonus, Valleletanus, S. Antoninus. Opusculi initium referunt Ptolomæus, Bernardus, & S. Antoninus: nimirum, *Lectis vestris epistolis.* Sex & triginta questiones à Doctore Angelico solvendas transmisserat Lector Venetus: an ita dictus ex Provincia nostra Veneta, an ex urbe Britannia Minoris, incompertum. Votis ejus Thomas ait, satis se fecisse infra quatuordecim, dilatis parumper aliis, quibus intendere se oportebat, questionibus. Vocatum Fratrem Passanum adnotat Petrus Pellicanus, fide allegata MS. Codicis Victorini. Mirum, si hæc ita se habeant, ab Ecardo diligentissimo prætermissa fuisse.

Transmissæ questiones, majorem partem, eadem omnino sunt ac illæ, quas Joannes de Verceilis pro posterat. Hinc indicio, & argumento est, proposita dubia inter Viros ea ætate doctos diligentior examina pertractata fuisse. In art. 14. de inferno agitur, an sit in centro, vel circa centrum terræ? Joanni Verceilensi responderat Aquinas: *ad doctrinam fidei non pertinere, an sit infernus circa centrum terræ, vel circa superficiem.* Hoc loco opinionum indulget, ipsamque inferorum locum à terræ centro removeret: *Nihil mihi videtur, inquit, temere asserendum: præcipue cum Augustinus neminem arbitretur scire ubi sit, non tamen æquum, quod sit in centro terræ.* Quia ille est locus, quo naturaliter ferantur gravia, nec videtur intentionem naturæ frustrari, ut communiter dicitur (juxta vulgatum ævo illo Philosophiam esse) quod sequeretur, si ad centrum corpora gravia non pervenirent. Si enim naturaliter terra circa centrum esset concava, non posset assignari naturalis causa, quæ tantum pondus sustineret. Si autem dicitur, hoc esse miraculose; nulla subesse videtur miraculi ratio. Preparatio enim inferni ab initio mundi fieri, secundum illud Isaie xxx. vers. 33. *Preparata est ab heri Tophet,* secundum expositionem Glossæ, (vallem Tophet intelligentis inferorum locum.) In prima autem rerum institutione non est considerandum, quid Deus facere posset, sed quid natura rerum habeat, ut sic fiat, sicut Augustinus II. super Genesim ad litteram cap. I. num. 2. Non autem dicitur Christus descendisse ad infernas partes terræ, sed ad inferiores: ad cujus veritatem sufficit, qualitercumque inferiores nobis dicantur.

II. Sequitur Opusculum in editione Romana duodecimum, quod est Responsio ad Lectorem Bisuntinum de sex Articulis. Genuinum Opus testatur Veteres omnes. Incipit illud: *Charissimo sibi in Christo Fratri Gerardo Bisuntino Ordinis Fratrum Predicatorum.* Vesontione in Galliis sacras litteras tradebat Sodalis. Judi-

cium Thomæ exquirat de quibusdam, quæ vulgabantur è suggestu, historiis, prudensque consilium petit.

Quæsiuerat primo Lector Vesontiensis: an stella quæ magis apparuit, haberet figuram Crucis, an figuram hominis, an figuram Crucifixi? Animadverit Aquinas, legi similia apud Chrysostomum super Matthæum, vel potius Auctorem Operis imperfecti, quod Chrysostomo tribuitur. Auctoris verba sunt: *Audisti aliquos referentes de quadam Scriptura, etsi non certa... inscripta nomine Seth, de apparitione hac stella... habente in se formam quasi pueri parvuli, et super se similitudinem crucis.* Hæc ab illo dicta Thomas admonet, non quasi asserendo, sed quasi ab aliis dicta recitando. Quod sentit ipse, aperit demum: quia pro certo non habetur, (inquiens) non reperio hoc esse prædicandum: præsertim quia non videtur probabile, quod sacri Doctores, ut Augustinus, Leo Papa, Gregorius, & alii, in suis sermonibus tacuissent, si aliquod robor auctoritatis haberet. Non enim decet Prædicatorem veritatis, ad fabulas ignotas divertere. Abnuoivo puto putoque non utitur argumento; sed Patrum silentio innititur, qui suis in sermonibus non tacuissent. Hæc ad crism spectant. Prudentiæ consilium est, quod sequitur: *Si autem ab aliquo sit prædicatum, non arbitror esse necessarium quod revocet, nisi forte ex hoc populo scandalum sit exortum: et tunc non deberet ut erroneam reprobari, sed ut incertum exponi.*

Vulgabantur è suggestu alii: *ex quo Simeon dixit Beatæ Virgini, Tuam ipsius animam pertransibit gladius, quolibet die naturali usque ad resurrectionem Christi septies illud recoluisse piam Virginem cum dolore vehementi.* Patet, ut supra responsum offert prudens, ac peritus Doctor Aquinas num. 5. Respondeo: inquiens, quod istud eadem facilitate contemnitur, qua dicitur, cum nullis auctoritatis robore fulciatur; neque æstimo, huiusmodi frivola esse prædicanda, ubi tanta suppetit copia prædicandi ea, quæ sunt certissime veritatis. Neque tamen oportet quod revocet, si prædicatum fuerit, nisi ex hoc scandalum exortum fuerit.

De illa etiam questione, *an parvula manus pueri Jesu nati creaverint stellas, iudicium Thomæ exquirat Lector Vesontiensis.* Ad trutinam Theologicam vocat ille audaciunculam locutionem, & ait num. 4. Locutio hæc non est propria: nam parvule manus sunt manus humanitatis, quarum non est creare. Sed quia unus & idem Christus est in divina, & humana natura perfectus, potest huiusmodi locutio sane exponi, ut dicatur: *Manus parvula istius pueri creaverunt stellas, id est, iste puer habens manus parvulas, creavit stellas.* Tali modo loquendi ad quendam unionis (naturæ humanæ cum divina in una Verbi Dei hypostasi), expressionem aliquando Doctores utuntur, sicut in quibusdam cantatur Ecclesiis: *Manus, que nos plasnaverunt, clavos confixa sunt.* Non tamen hæc sunt extendenda, vel prædicanda populo. Sed tamen si prædicatum sit, non arbitror revocandum: nisi super hoc error, aut scandalum oriatur, in quo casu oporteret sanæ locutionis sensum exponi. Non sunt autem in talibus, quantum fieri potest, simplicium animi sollicitandi.

III. Quintumdecimum in editione Romana Opusculum, inscriptum *de substantiis separatis, seu de Angelorum natura*, referi Ptolomæus de Luca: *de substantiis separatis*, Guillelmus de Tocco, Logotheta, & Triverus: *de Angelis, seu de substantiis separatis*, Bernardus Guidonis, Vallesolanus, & S. Anthonius: *de Angelis* demum, Pignonos. Votis Reginaldi Privernatis annuentem Thomam composuisse hoc opus, testantur laudati Scriptores.

In calce hæc in Angelis exemplis, que consuleret & expendere licet, habentur verba: *Hucusque scripsit Sanctus Doctor de Angelis: sed morte prævenit non potuit perficere hunc tractatum, sicut nec plura alia, quæ reliquit imperfecta.* Extremis ergo vitæ annis charissimo Sodali suo Reginaldo motem gerebat Aquinas. Anni tempus, cum in id opus incumberet, ac morbum fortasse quo tunc laboraret, indicat Præfatio: *Quia sacris Angelorum solemnibus interesse non possumus, non debet nobis devotionis tempus transire in vacuum: sed quod psallendi officio subtrahitur, scribendi studio compensatur.* Festum indicari videtur Sancti Michaelis Archangeli. Cur vero Sanctissimus Doctor publico psallendi officio interesse non potuerit, nisi morbo præpediatur?

IV. Adsumpti operis consilium ibidem aperit: *Intendentes Sanctorum Angelorum excellentiam utcumque deprimere; incipiendum videtur ab his, quæ de Angelis antiquitus humana conjectura æstimavit: ut si quid invenimus fidei consonum accipiamus, quæ vero doctrinæ repugnant catholica, rejiciemus.* Animadverte, mentem humanam Philosophicis excultam disciplinis, non nisi per conjecturam ad surgere ad cognitionem Angelorum potuisse. Prima veluti parte Operis, ad examen vocat opiniones Græcorum Philosophorum inter Bihnicos, Arabum inter Mahumedanos, inter Judæos Saduceorum, Manicheorum & Origenis inter Christianos: quorum commenta plura diligentissime expendit, ac profligat.

Pars altera incipit à capite decimo septimo, quod ita exorditur S. Thomas: *Quia igitur ostensum est, quid de substantiis spiritualibus præcipui Philosophi, Plato, & Aristoteles senserunt quantum ad earum originem, conditionem naturæ, distinctionem & gubernationis ordinem, & in quo ab eis alii errantes dissenserunt; restat ostendere, quid de singulis habeat Christiana Religio assertio. Theologicæ peritæ, qua pollebat Aquinas, offero specimina. Ad originem substantiarum spiritualium quod attinet, firmissime docet Christiana traditio (inquit) omnes spirituales substantias, sicut & cæteras creaturas, à Deo esse productas. In Psalmo enim *EXLVIIT. dicitur vers. 2. Laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus.* Et enumeratis aliis creaturis, *(Sole, Luna, stellis, luce, cælis, aquis, vers. 3. & 4. subditur vers. 5. quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt.**

Item infra: *Est autem Christianæ doctrinæ contrarium, ut sic dicantur spirituales substantiæ à Summa Deitate originem trahere, quod fuerit ab æterno, sicut Platonici, & Peripatetici posuerunt. Sed hoc habet assertio catholica fidei quod cœperunt esse postquam prius non fuerant. Unde dicitur Isaia cap. XL. vers. 26. Levate in excelsum oculos vestros, & videte quis creavit hæc, scilicet superiora omnia. Et ne intellexerit de corporalibus solum, subdit: (ibid.) *qui educit in numero militiam cæli: (in Vulgata, militiam eorum.)* Solum autem Sacra Scriptura nominare *militiam cæli*, spirituum substantiarum celestem exercitum propter ordinem & virtutem in exequendo voluntatem divinam. Unde dicitur Lucae II. vers. 13. *quod facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis.* Datur igitur intelligi, non solum corpora, sed etiam spirituales substantias per creationem de non esse in esse fuisse educas, secundum illud Rom. IV. vers. 17. *Vocat ea que non sunt, tamquam ea que sunt.* Obviam difficultatem, quam Scripturæ silentium ingerit,*

pro-

proponit, ac solvit: *Sacra Scriptura, inquiens, in Genesi loquens de principio creationis rerum, de spiritualium substantiarum productione expressam mentionem non facit, ne populo rudī, quibus lex proponebatur, idololatriæ daretur occasio.*

Num vero ante cæli terræque creationem, vel post, vel simul Angelos condiderit Deus? *Non potest ex Scripturis canonicis, inquit Aquinas, expresse haberi, quando creati fuerint Angeli.* Nihilominus hæc addit: *Quod post corporalia creati non fuerint, ratio manifestat, quia non fuit decens ut perfectiora posteriora crearentur.* Et etiam ex auctoritate Sacræ Scripturæ expresse colligitur. (Animadverte, id minime dici, quod in Scripturis habetur; sed ex Scripturis colligitur.) Dicitur enim Job xxxviii. 7. *Cum me laudarent, simul astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei:* per quos spirituales substantiæ intelliguntur. Hinc Patrum duplex frequentior opinio est de Angelorum creatione, vel ante corporalem creaturam, vel simul. *Naturam autem horum, (Thomæ animadversio est,) æstimo esse sanæ doctrinæ contrariam: quia nimis præsumptuosum videretur asserere, tantos Ecclesiæ Doctores, Augustinum, Gregorium Nazianzenum, Basilium, Hieronymum, Damascenum, & à sana doctrina pietatis deviasse.*

Conditionem Angelorum ad examen vocat capite xviii. *Quos incorporeos esse, inquit, Canonica Scriptura auctoritate probatur, quæ eos Spiritus nominat.* Dicitur enim in Psalmo ciii. verso 4. *qui facit Angelos suos Spiritus.* Et Apostolus dicit ad Hebr. I. de Angelis loquens vers. 14. *Omnes sunt administratores spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis.* Consequitur autem Scriptura nomine Spiritus aliquid incorporeum designare, secundum illud Joannis IV. vers. 24. *Spiritus est Deus: & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Et Isaia xxxi. vers. 3. *Agyptus, homo & non Deus: & equi eorum caro, & non spiritus.* Sic igitur consequens est, secundum Sacræ Scripturæ sententiam Angelos incorporeos esse: id est, neque corpora illos esse, neque compositos ex materia & corpore crasso, & compacto. Si quis autem diligenter velit verba Sacræ Scripturæ inspicere, ac eisdem accipere poterit, eos etiam immateriales esse, (nullo quantumlibet subtili, ac æthereo corpore constantibus.) Nominat enim eos Sacra Scriptura quasdam virtutes. Dicitur enim in Psalmo cii. vers. 20. *Henedicite Domino omnes Angeli ejus: & postea subditur 21. Benedicite Domino omnes virtutes ejus.* Et Lucae xxi. vers. 26. *Virtutes cælorum movebuntur:* quod de Sanctis Angelis omnes Doctores exponunt. Quod autem materiale est, non est virtus, sed habet virtutem. Relinquitur igitur, secundum intentionem Scripturæ, Angelos immateriales esse. Opposita adserta duo animadverit Petavius Libro I. de Angelis capite III. num. 10. non esse iudicanda prorsus heretica, sed hæresis proxima: nam quominus heretica censentur, id unum facit quod nondum ea res liquido ab Ecclesia disceptata sit. Conclusionem vero suam Theologicam pergit Aquinas Patrum testimonio confirmare: quæve in ipsis Canonicis Scripturis adversa videntur, clarissime exponit.

De Angelorum discrimine agit capite xix. Occurrit primo differentia bonorum, & malorum: est enim, inquit, apud multos receptum, esse quasdam Spiritus bonos, quasdam vero malos. Quod auctoritate Sacræ Scripturæ comprobatur. De bonis enim Spiritibus dicitur ad Hebr. I. vers. 14. *Omnes sunt administratores spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis.* De malis autem Spiritibus dicitur Matth. xii. vers. 40. *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida querens requiem, & non invenit.* Et postea subditur vers. 45. *Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus nequiores se.* Tum animadverit, non nisi qui boni sunt, dici Angelos: *Dæmones autem secundum communem usum loquendi non nisi in malo accipi.* Cur alii boni, alii mali sint, latior est apud ipsum dissertatio. Nullus utique prætermisus error, qui non convellatur: nullum opinantium placitum, quod ad examen non vocetur. Sed neque caput istud, neque opus absolvit Sanctus Thomas.